



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XXXVIII. Flagellatio Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

ÆRVMNA XXXVIII.

Flagellatio Domini.

I.

*Infelix fla-
sus peccan-
tioris,*



Datus cognitâ Innocentiâ Christi, & quod per-
meram invidiam accusaretur, urgebat eum, ut se de-
fenderet, non capiens inauditam ejus patientiam,
simulque desiderans, ut ipse suam intentionem ejus
liberandi saltem aliquo verbo juvaret. Christus autem tantò minùs
locutus est, quantò ampliùs ipsa pro se manifesta innocentia loque-
batur. De qua quidquid Judæis diceret Præsès, nihil aliud ab eis
audivit, præter insanas voces illum ad crucem deposcentium. Pe-
riculosissimus est hic status, cum eò prolapsus est homo, ut in malo
proposito, sive ex passione, sive ex odio, sive ex gustu peccati perse-
veret, nulla ratione, justitiâ, lege aut veritate eum retinente, suam
perversam voluntatem habens pro lege: quo nihil in hac vita de-
terius inveneris, verissimam similitudinem cum statu inferni. Usque
adeò verò fuerant obfirmati Judæi in suo nefario proposito, ut ipse
quoque diabolus, à quo id hauserant, non posset eos ampliùs ab illo
dimovere. Hic enim visâ Domini innocentia, & patientia plus-
quam humanâ, cœpit metuere, ne forsan hâc ejus nece suis rebus
officiat, fortiùs, quàm unquam antea; suspicando, ne verè sit filius
Dei, dudum promissus ad destruendam suam potentiam. Ideo in
somnia conterruit uxorem Pilati, ut eum à morte Christo inferen-
dâ averteret, quòd multa propter eum nocte perpeffa sit. Ve-
rùm obstinatio Judæorum conatui dæmonis & Pilati prævaluit: ut
semper verum sit, hominem non habere majorem hostem, propria
voluntate.

*Pilatus
Christum
à morte
liberet,*

II. Videns Pilatus nihil aliud se efficere, quàm ut magis
insaniant, statuit Christum flagellare propter ea, de quibus ac-
cusabatur, ut sic mitigata rabie inimicorum, illum à morte eri-
peret. Mira justitia, innocentem ut liberes à morte, carnificina
flagrorum objicere: nulla lege alia, quàm satisfaciendi odio
inimicorum. Qui quidem non agrè tulerunt hanc moram;
quòd

quod interim tempus haberent consultandi, quomodo etiam crucem extorquerent à Judice. Introductum ergo Dominum in atrium Pilati solutis manibus, à tam diuturna & stricta colligatione lividis, intra octavam & nonam matutinam spoliant omni veste, summo ejus pudore: ille nihil repugnans, ac tacitus, carnem suam, & sanguinem sacratissimum, bullientem in diu desideratam effusionem pro nobis, offerebat humillimè Patri æterno pro lytro generis humani. Illi religatum ad columnam, nulla sibi lege, modo vel mensura, ut aliàs fiebat, præscripta, sed prout ^{flagellare jubet.} infigebantur & fortè promissis incitabantur à Judæis, crudelissimè flagellant ac proscindunt, ut à capite ad calcem nihil nisi unam plagam cernerent in toto corpore: & sic à tergo laniatum obvertunt ad nova verbera, ut etiam pectore, ventre, lumbis & omnibus membris concisis, magis excoriatus videri posset, quàm flagellatus. Verberum numerus certò non scitur: nonnulli perhibent fuisse ultra quinque millia.

III. Dolor istius crudelitatis explicari verbis non potest. Aliquæ sanctæ animæ, quibus dignatus est Dominus ostendere suum corpus, quale fuit post hanc flagellationem, sic affectæ fuerunt illo tristi spectaculo, ut per totam vitam continuo sensu doloris plenæ, amore Domini velut igne quodam perenni deflagrarent. Mihi videtur, sicut apis condit favum plenum cavernis, in quibus non tantùm stipat mel, sed etiam educat pullitiam suam sive melissas: ita Christum Dominum nostrum per flagellationem aperire voluisse suum corpus quasi suavissimum favum mellis, in quo educentur sanguine suo & morentur ejus Filii: atque ita, qui bene nôrunt sentire hoc ejus tormentum, non sunt contenti aspicerere totum simul, sed ab una plaga eunt ad alteram, bene considerando singulas; & è singulis hauriunt suavitatem & amorem, quo sustentantur.

IV. Inter hæc Dominus quietus ac placidus, nihil immutavit amabilitatem vultus, nullam ostendit tristitiam; nec dis- ^{Quantum} ^{parentiam} ^{Dominus} ^{scilicet} ^{etiam} ^{sit.} splicitiam eorum, quæ fiebant; non corrugavit frontem, non declinavit ictus, non aperuit os suum; sed quasi nihil sentiret, excepit omnia; sicut Agnus coram rudente se: humillimè paratus

ad omnia quasi vile mancipium, sine lamentatione, & querela, quasi convictus de crimine; singulos ictus expectavit, & quod sustinebat in corpore, id animo obtulit Patri pro redemptione generis humani: quod etiam Pater benignè acceptavit velut sacrificium suave pro peccatis. Arque ut hoc supplicium fuit primum, quod eum perfudit pretioso sanguine suo, ita credi non potest, quanto arderet amore in corde suo, dum id fieret. Etenim si non absque continuo & ingenti cruciatu sustinuit ejus baptismi dilationem, facile intelligitur, quanto gaudio animi exceperit balneum tam ardentè desideratum, toto tempore vitæ. Fuerunt sanè hi meri excessus amoris triumphantis generosissimum animum Christi, & eò deducens, ut pateretur quidquid illi ipse dictabat.

*Caro ma-
ximus ho-
stis noster.*

*ad Rom.
cap 7. v. 23.
& 24.*

*Prestravit
Davidem
& Salomonem,*

V. In hoc speculo Sancti omnes didicerunt, quomodo tractare deberent sua corpora, & subigere spiritui. Quia dum sumus in hac vita, non habet majorem hostem anima, quam carnem suam. Hæc enim ægerrimè patitur frenum & jugum, sequitur suas inclinationes terrenas, & sensibus eas concitantibus, tanta cum furia fertur in id, quod appetit, ut sæpius decipiat, ac dejiciat spiritum; ac ei sola plus facessit negotii, quam simul omnes alii inimici. Sensit hoc Apostolus, qui post tantas gratias & favores Dei, gravissimè queritur de rebellionem sui corporis, cum ait: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Atque ut Sancti nihil magis curant, quam subjici legi Dei, & sanctissimæ suæ voluntati; ita nihil est eis gravius, quam sentire in se contradictionem carnis. Ideo semper sunt malè contenti, cum odio inclinationum corporis, ac perpetuo bello cum corpore suo. Unde Paulus, licet in gratia Dei confirmatus esset, ut reliqui Apostoli, castigabat tamen corpus suum, & in servitutem redigebat, ne fortè, cum aliis prædicaverit, ipse reprobus fieret. Quòd si Sancti tanto odio persequerentur suam carnem, ne per illam damnarentur, quid fiet his, qui omni studio illi obsequuntur per omnia? Sanctus Rex David per modicam incuriam oculorum, in aspicienda muliere aliena, cum nihil timeret periculi, ruit in adulterium & homi-

& homicidium. Salomon sapientiâ donatus à Deo præ omnibus, qui eum antecesserunt, dum nihil negat suis sensibus, ad eam feruitutem carnis devenit, ut sacrificaret idolis, quæ colebant uxores ejus Gentiles. Si hos neque sanctitas, neque sapientia præservavit à ruina, dum indulserunt sensibus; quid his fiet, quorum tota cura & cogitatio est in procuratione voluptatum corporis? Ideo Christus Dominus noster, in se recipiens pœnas nobis debitas, à capite usque ad calcem voluit flagris omnia sua membra concidi; quia per omnia peccamus, & omnibus blandimur, velut amicis, cum sint pessimi hostes animæ nostræ: eas verò partes, quæ flagellari non possunt, aliis doloribus affici voluit; ne ulla maneret impunita pro nostris infelicibus oblectationibus.

VI. Hinc germinârunt illæ magnæ pœnitentiæ Sancto-
rum: disciplinæ genus à solis Christianis usurpatum post adven-
tum Christi: cilicia, catenæ ferreæ, refrenatio sensuum, ne vi-
deant, audiant, loquantur, gustent etiam licita; ut subactum cor-
pus inserviat spiritui, nec ejus vera bona impediat. Plurima, maxi-
ma sunt horum exempla: Sufficiat hic illud ex Palladio. Legebant
duo aliquid è sacra Scriptura: rogatus alter eorum à socio, quid
sentiret de loco, qui lectus erat, petivit eum repeti; quia aspiciens
quendam, qui ante eos terram aratro proscindebat, non satis ad le-
ctionem attenderat. Cujus tantillæ oculorum licentię hanc à se pœ-
nam exigit, ut ferreo cingulo & collari omnem sibi cælum aspicien-
di facultatem adimeret, neque pedem effèret è cella, nisi ad tem-
plum: quo in supplicio quadraginta annos exegit. Rogatus quon-
dam à discipulis, cur non aliquando saltem vultum erigeret in cæl-
lum, ad laudes & gratias Deo solvendas, respondit, se non ignorare,
quàm bonum sit, aspicere cælum, ac Deum laudare in creaturis: sed
quia caro & diabolus provocent semper ad malum, se id genus
pugnæ inire cum hostibus, ut eos detineat in hac tentatione, cui
licet succumberet, nihil obtinerent, se sine culpa remanente, & ipsis
absque insigni victoria: si verò ipsis non cedat, majorem ignomi-
niam relaturus, se majore in securitate constituto. Responsum verè
dignum animâ tantæ sanctitatis & puritatis.

VII. Hic est ergo spiritus veræ imitationis Christi, ut
non expectetur, donec tentatio pertrahat in peccata, vel peccandi
pericula

*bus mortificatione
præveniendū.*

pericula, quorum nos postea pœniteat; sed mortificatione corporis præveniatur malitiæ, quæ viget in eo per peccatum Adami, in quo conceptum est; ne se erigat contra legem Dei, & animam; ac si hoc tentarit, mox opprimatur, privando illud rebus concessis, ut gemat & acquiescat solis necessariis, non cogitans de prohibitis. Vide sis è contra servos corporis, tanquam tyranni, quàm parcè & malignè præbeant animæ suæ necessaria, ut nullam ejus habeant curam, ut patiantur eam egere in domo sua, cujus per naturam domina est; eam verò ad serviendum natam, affluere omnibus, quæ desiderat.

*Uso Sacramentorum.
Oratione.*

VIII. Cui verò non tantum est animi, ut ad pœnitentiæ Sanctorum assurgat, huic suavissimum pariter, & efficacissimum medium suppetit edomandi corporis, occupatio in rebus ad puritatem & nitorem animæ, & unionem cum Deo spectantibus: qualia sunt usurpatio Sacramentorum, & oratio interna: hæc enim corpus ita continent, ut non possit exserere suam nequitiam: nam oratio & sensuum, & cogitationum libertatem restringit, & omnes pravas inclinationes compescit; facitque ut anima ab oratione majore sui cura incedat, & accuratiore vigilantia omnibus rebus attendat. Claudat hanc materiam divina quædam observatio sancti Cypriani: Quemadmodum non affirmatur servus, qui est gratosus, facetus, jucundus, at inutilis; sed qui strenuè & impigrè facit opus, & indefessus est in obsequiis domini: sic etiam corpus nostrum pluris fit, si dimisso otio & voluptatibus multum laboret in obsequio Christi: & quo plus laborat, eò melius implet officium suum in hac domo nostræ humanitatis.

E X E R C I T I V M

De Flagellatione Domini.

I.

A Desse hora, mi bone JESU, quâ laceretur innocens & purissima caro tua, aperiantur venæ, fundatur sanguis tuus pretiosus in meum remedium. Quale cor poterit intueri tam crudelem sententiam contra te, meum unicum & verissimum Bonum? fiat, si potest,

si potest, commutatio cum mea persona; quia ego sum, qui peccavi. Non servatur justitia tecum, Deus animæ meæ! Pilatus te invenit alienum à culpa, & dicit Judæis, quòd castigare te velit, & emendatum dimittere. Quid emendare in te, puritas infinita? quid castigare, innocentissimæ agnellæ? Te nihil pro te respondente, Pilatus clarissimè agnoscit innocentiam tuam, & tantum ad satisfaciendum odio inimicorum tuorum, vult te castigare. *In Christo violantur jura,*
 In te solo violantur omnia jura, qui observantissimus fuisti semper omnis legis & justitiæ. Maleficus puniri solet, ut alii caveant, nec sit opus plures punire; & tu, felicitas mea, tantum puniris, ut satiatur ira tuorum inimicorum. Lex, quâ tecum agitur, est sola malitia, invidia & odium Phariseorum; & pro medio te liberandi à morte, adhibetur dira flagellatio, ut satisfiat malæ voluntati eorum, qui te accusant, cum falsa sint omnia, quæ contra te dicunt. Benedictus & laudabilis es in æternum. Deus meus! Laudent te Angeli, cælum & terra, & universæ tuæ creaturæ!

II. Sed non fiunt ista fortuitò, Deus meus. Tu sic ordinas, & vis. Ad hanc horam anhelasti toto tempore vitæ tuæ, desiderans videre te totum conscissum, ut saries tuo sanguine, ac totus eo perfundaris. Errat Pilatus, hoc faciendo; sed totum quod video, à lege tui amoris procedit. Ardet semper hic amor: desiderat semper, quod urat: & cum incidit in hanc sacratissimam humanitatem, facit omnia extrema. Lex hujus amoris est, non tenere modum, nec certam mensuram, nec formam, nec ordinem justitiæ humanæ: quia vult omnia mero igne consumere, *Non tenet mensuram in amando nos.*
 ac te totum infumere in mea obsequia. Parùm curat, an serventur leges, & jure tecum agatur: vult totum accendere sine lege, sine termino, sine ordine debito; ideo facit, ut te totum impendas, quantus quantus es. O amor, si tantum potes in supremo Domino, cur non consumis me? tantum in me vires non habes? ego te amo, bone JESU ac desidero totus amore tui consumi. Noli Deus meus, ardere solus hoc igne: accende me quoque; hoc est enim id quod petis: potesque bene consumere totam rubiginem hujus animæ, ac totam in ignem convertere.

l i i

III. Non

*Amore
cruciatur,*

III. Non voluit amor tuus humaniter agi tecum : sine
venerentia te spoliant, alligant columnæ, flagellant, fessis succe-
dunt recentes : & licet ubique cum omnibus ipse observaveris le-
ges pietatis, tecum tamen nulla servatur ; & pro quadraginta ver-
beribus lege taxatis, infliguntur tibi supra quinque millia : nec
fatis est humeros ac tergum oblitum plagis, etiam corporis par-
tem anteriorem, tenerioremque flagris obvertunt, exemplo non-
dum audito : & ventrem, pectus, totumque corpus convulne-
rant ; quasi malè feriatum esset membrum, quod non pro me spar-
geret sanguinem : ut aded à capite ad calcem, quasi leprosus,
nihil in te sanum haberes. O Vita animæ meæ ! ô thesaurus &
abundantia cordis mei ! Terreor, obstupesco, præ admiratione
ignoro quid dicam ; sed abjicio me ad tuos sacratissimos pedes,
& osculor terram rubentem sanctissimo sanguine. Dessebo hic
mea peccata, propter quæ tractaris his modis : hîc confitebor ;
hîc expectabo misericordiam tuam, neque ampliùs ab iis recedam ;
sed ab una plaga ibo ad aliam, ut apis in favo solet, dulcedinis
tuæ suavitatem gustando in singulis.

*sub san-
guine nu-
xit,*

IV. Et quandoquidem, ô creator meus, voluisti te exhibe-
re favum ita mihi apertum, & sicut apis inter ejus cavernas edu-
cat suos pullos in melle, ut semper afficiatur ad eum : ita etiam
tu, cælestis mea dulcedo, vis nos colligere intra has sacratissimas
plagas, quibus nutris & educas corda nostra suavitate pretiosi
sanguinis tui : ibi nos foves amore materno : ibi tanquam verus
pater nos ditas omnibus bonis : ibi nos ad incrementa perducis
justæ magnitudinis internæ, ut per te, & in te semper vivamus,
& similes tibi fiamus, ad te, unicum nostrum bonum, currentes.
Jam non ampliùs possum dicere cum Davide, passeris invenisse
sibi domum, & turtures nidum, ubi ponant pullos suos ; me au-
tem non habere. Neque tecum, vulpes habere foveas, & volucres
cæli nidos, me autem non ; quia tu, petra suavissima, gratissimum
refugium quærentium te in tribulatione, aperuisti te totum, ut
me intra te colligas ac protegas. O qui nunquam recessisset à te !
ô qui nullum alium locum habuisset pro suâ quiete ! ô qui semper
anhelasset ad has plagas, ac toto corde se immerisset in illas !

V. Vita

V. Vita animæ meæ, spes cordis mei, salus æterna infelici- ^{sibi crudel-}
 cium & continuarum plagarum mearum! quare, mi Jesu ac dul- ^{lis, nobis}
 cis amor animæ meæ! tam crudelis es erga teipsum, ac tam lenis ^{indulgens.}
 erga me? nonne decebat me potius flagellari, quàm te? nam ego
 sum, qui peccavi, non tu, innocentissime Agne. Ego, Domine,
 te omnibus membris offendi; illis, & sensibus, quos mihi dedisti,
 servivi malitiæ voluntatis meæ, mundi ac diaboli. O quàm ne-
 gligens fui hæctenus in confitendo, quàm malè hucusque sum usus
 omnibus rebus! sed tu, Lux & Sapientia infinita, scis, quàm pa-
 rum esset, si totus aperiret in plagas pœnitentiæ, pro satisfactione
 & cura plagarum, quibus convulneravi hanc miseram animam;
 scis etiam, quàm fœdæ sint & abominabiles; & tamen ignoscis,
 blandiris, & alis me miserationibus tuis; ac te, JESU animæ meæ,
 exhibes mihi totum dilaniatum flagellis! ô amor, qui semper ar-
 des, & nunquam consumeris, muta totam vitam meam, corpus
 & animam, in hoc igne ac servitio tuo!

VI. Tu scis, Deus animæ meæ, servis convenire labores; ^{Corpus}
 & eos laudari plurimum, qui sunt patientissimi laborum, & omnis ^{anima serv-}
 servitii. Justissimum ergò erit, ut corpus animæ serviat, pluri- ^{viat, non}
 mumque laboret in auxilium animæ, cujus est servus; donec di- ^{dominetur.}
 gnium evadat illi sociari in gloria. Sed ego semper amavi cor-
 pus meum, semper ei servivi, semper animam ei subjeci, & pro-
 pter ipsum te perdidit, ô unicum Bonum meum! & propter gustum
 ipsius dilapidavi omnia bona, quæ mihi dedisti, tanquam servus
 improbus, rebellis & proditor. Et tu, innocentissime Agnelle,
 qui non habes corpus rebelle, sed fidelissimum socium, & obse-
 quentissimum animæ tuæ sacrosanctæ, tractas illud velut inimi-
 cum; & quod ego pati debueram, tu sustines, ut mihi parcas. O
 liberalitas infinita, hæc me totum offero: fac me, JESU mi, Agne
 micissime, participem flagellorum tuorum. Tu es meus Domi-
 nus, meus verus amicus, & verus Pater, mihi indulgens & mitis,
 tibi soli asper & rigidus. Tradis corpus tuum in manus crude-
 lium, & insolentissimæ malitiæ inimicorum tuorum, qui sine cle-
 mentia sine mensura totum dilacerant sævis ictibus: cum verò me
 castigas, tu, benignissime pater, tuis ipse manibus adnumerat,
 metiris

metiris & appendis pœnas ad mensuram virium mearum; & in super addis auxilium, ut possim sufferre, compatiendo meis doloribus, ac tenero tuo corde amorisque plenâ voluntate moderando flagella. Quid ergò, Deus ac Dominus meus, possum conqueri? verè malè mihi est, quando queror: pejus etiam, quando castigationem non accipio de manu tuâ: pessimè verò, quando ut serviam propriæ voluntati, gustui & vanitati, levissima quæque, amore & gratiâ tui perferenda, reputo magna & intolerabilia. Muta, Domine animæ meæ, hoc totum statim, & in perpetuum, quia me totum in manus tuas consigno. Flagella, castiga, exerce hunc improbum peccatorem: fac in me totum, quod vis: trahe me semper subditum tuæ manui, & alligatum tuæ providentiæ. Non permittas, ut desiderem aliud, quàm pati pro te: & quàm diu hoc mihi non sapit ac dulce est, non cesses, Domine, me castigare; etiam si caro mea recalcitret: quia tu potes eam ad te convertere.

*Sanguine
Christi à
lepra pec-
cati mun-
damur,*

VII. Adoro te, purissime & sanctissime sanguis. Non surgam à pedibus tuis, Domine, donec me laves hoc sacratissimo liquore. Currat, ô dulcissime JESU, super me: lavet me, ac mundet me totum: quia in eo solo situm est meum remedium. Dicunt calidum sanguinem parvulorum sanare lepram; & de hoc tuo sacratissimo sanguine dicit Apostolus, quòd possit emundare conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. O Agne Dei, qui tollis peccata mundi, purissime & innocentissime, vide hunc leprosum, ulceribus obsitum à capite usque ad calcem, plenum peccatis & scabie imperfectionum: lava me hoc sanguine, qui tam calidus emanat è dulcibus tuis vulneribus. Tu, Domine, dixisti Petro, *Si non laverote, non habebis partem mecum.* En igitur, meum caput, meas manus, meam animam, desideria mea, meam voluntatem, meum intellectum, opera mea, affectus & sensus internos, externos: omnia sunt destructa, vastata, & abominabilia; omnia indigent lavacro tuo. Lava me, Domine, virtute hujus sacratissimi sanguinis. Emunda me, ut maneam semper tibi unitus, ô purissime Deus meus; & semper sequar te, ô innocentissime agne. Quia tu es Pastor, Dux & cibus meus.

*Ioan. 6. 13.
v. 8.*

Opu-

O purissima & sacratissima Dei Mater, quæ concepisti hoc sacratissimum corpus, ut laniaretur pro me; & nutriti purissimo sanguine pectoris tui, ut spargeretur pro me; & plus aliis omnibus de eius virtute participasti; misere pauperis hujus, & ulcerosi peccatoris. Impetra mihi, Domina, intimum sensum dolorum Unigeniti tui, imitationem exemplorum ejus, odium peccatorum meorum, quæ fuerunt ei causa tanti supplicii; & ut me perfecte ipsi dedam, ne in me frustra sint ea, quæ pro me pertulit sua divina majestas.

O Curia cælestis, quæ semper es irrigata his fontibus, & ab his plagis habes omnem pulchritudinem tuam, & ab his aquis vivis omnibus bonis abundas; adjuva hunc pauperulum; ama, lauda, magnifica pro me hunc Dominum; & quia per meam ruditatem id ipse nescio facere, supple tu luce & amore tuo, quo flagras; & impetra mihi ab eo vel unam scintillam, quæ ardeat in isto corde, donec me totum consumat, ac mutet in ipsum. Amen.

ÆRV MNA XXXIX.

Corona Spinea.

I.



Carnifices, tum ex fatigatione, cum quod nihil in toto corpore Domini viderent integrum, cessantes à flagellatione, solverunt eum à columna, undique manantem sanguine, ac dum circuit quærens vestimenta sua, novis doloribus affectum à frigida aura (neque enim statim vestes invenit, petulantia militum eas huc illuc jactante, non sine spurcissimis jocis) obivit locum innocens agnus magna cum mansuetudine, modestia, & patientia, donec repertis vestibus se rursus indueret. Et quamvis ita miserabilem in modum affectus esset, ut crudelissimum quemque ad miserationem posset movere; tamen sic carnifices urforum instar, & efferatorum luporum velut inescati sanguine, novum, & usque in eam diem inauditum tormenti genus excogitaverunt; ut etiam in illis appareat indoles peccati, semel impudenter, & cum voluptate commissi,

Iii 3

quæ